


LVNÆ DIE 20 M. FEBRVARII A. 2006

A.d. X Kal. Martias a. MMVI

I 3 0

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

DE VILLA HADRIANA (I)

- scripsit Gaius Licoppe -

Ante circiter triginta annos, æstivo tempore, primum mihi contigit Villam Hadrianam invisere. Mense Novembri anni 2005, occasione sessionis autumnalis Academiae Latinitati Fovendæ, eam iterum lustravi una cum Francisca. Tempestas non fuit æque iucunda ac æstate, sed hoc nobis emolumento fuit, quod perpauci adfuerunt lustratores; ruinarum maiestatem admirantes, conati sumus has structuras, quantum fieri potest, melius intellegere.

Traianus imperator diem supremum obiit anno 117, cum bellum contra Parthos nondum perfecisset. Eius uxor Plotina effecit ut Hadrianus ei succederet. Eo tempore Imperium Romanum ad fastigium potentiae et splendoris pervenerat.

De Publii Ælii Hadriani regno sat multa sunt incerta; ipse, vir litteris Latinis et Græcis eruditus, suam biographiam conscripsit, sed textus perditus est; eo quarto sæculo usus est Ælius Spartianus, scriptor Historiæ Augustæ, qui de vita Hadriani summam conscripsit; ibi de villa leguntur hæc (XXVI, 5): « Tiburtinam villam mire ædificavit, ita ut in ea et provinciarum et locorum celeberrima nomina inscriberet, velut Lycium, Academiam, Prytanium, Canopum, Pœcilen, Tempe vocaret et, ut nihil prætermitteret, etiam inferos finxit. » Præter Historiam Augustam, in promptu nobis sunt fragmenta Historiæ Romanæ Cassii Dionis et citata variorum auctorum. His paucis indiciis nixi, archæologi accuratis effossionibus plura de villa scire conantur.

Hadrianus, imperator factus, ad pacem instituendam magis pronus erat, quam ad bellum protrahendum. Mesopotamiam, quam expugnaverat Traianus, Parthis restituit et cum eis fœdus composuit. Anno 118, triumpho Parthico nomine Traiani vix celebrato, Hadrianus vocatus est in Mœsiam, ubi Sarmatæ et Rhoxolani vastationes fecerant; limitem Danuvii et Rheni magnis munitionibus firmavit. Anno 120 vel 121 Galliam petivit et inde Rhenanam regionem, ubi etiam munitiones firmavit. Postea e Batavia navigavit in Magnam Britanniam, ubi feri Picti incursiones vastatorias in provinciam Romanam fecerant. Postquam murum munitum inter Caledoniam et provinciam Romanam exstruendum curavit, Galliam iterum petivit, ubi Nemausi pulchrum templum ædificavit in memoriam Plotinæ, modo vita functæ. Anno 122 petivit Hispaniam, ubi natus erat, sed videtur ipse non interfuisse bello contra rebellantes in Mauretania.


Firmato Occidente, Hadrianus se ad Orientem vertit; anno 123 velificavit ex Hispania in Asiam minorem; postquam Troada, Propontidem et Phrygiam percurrit, Romam rediit. Inde, anno 125, in Græciam

transiit, quam tantum amavit, ut ibi duos annos degeret. Anno 127 Siciliam adiit et deinde Romam rediit.

Anno 128 iterum profectus est, tunc in Africam, quam lustravit. Exeunte eodem anno Athenas petivit, ubi Olympieum inauguravit. Res mira, huius templi ædificatio incohata erat septimo sæculo a.Ch.n., sed imperfecta manserat per multa sæcula. Hadriani fuit hoc ingens templum magnifice perficere.

Anno 129 iterum adiit Asiam Minorem et invisit Cariam, Ciliciam, Cappadociam et Syriam; in Iudæa statuit loco ruinosorum Hierosolymorum novam urbem modo Hellenistico instruere, cui nomen dedit Æliam Capitolinam; hoc Iudæis religiosis eo magis displicuit, quod Hadrianus videtur eis circumcissione interdixisse. Inde orta est terribilis Iudæorum rebellio (a. 132-135), duce Simone Bar-Kokhba.

Anno 130 Hadrianus Ægyptum adiit et, in Nilo navigans, pulchritudine ædificiorum et magnificentia celebrationum delectatus est; sed ibi modo ambiguo periit Antinous, eius amatissimæ deliciæ. Hadrianus navigavit usque Syenen, unde lustravit clarum Isidis templum in Philarum insula a Ptolemæis pulcherrime ædificatum. Anno 131 Romam rediit et sua villa tandem frui potuit.



In hoc delineamento undevicesimo sæculo facto templum Philarum tale ostenditur in situ primitivo, quale vidit Hadrianus sed bodierni iam non possunt, cum propter magnas cataractas ædificatas oportuerit Isidis templum in aliam insulam transferre. Arcus, qui in imagine proxime apparet, iussu Hadriani exstructus est.

Cum Hadrianus per multos annos raro Romæ fuisset, eius villa imprimis putabatur non ante annum 134 occupata esse. Sed in ruinarum lateribus impressæ sunt notæ cum nomine amborum consulum anni fabricatio-

nis, unde deduci potest quo anno facti sint. Sic patet Hadrianum iam ab initio sui regni operam dedisse ad villam ædificandam. Ut totum concepta est, cuius fere cuncta ædificia perfecta erant iam anno 123; Hadrianus anno 125 de sua villa litteras misit.

Cur Hadrianus primus sedem imperii capitatis extra Urbem collocaverit, nescimus. Præcedentes imperatores libenter residebant in Hortis Sallustianis; hoc magnum prædium intra muros situm ei fortasse visum est nimis vetus et non satis commodum, quare de novis hortis creandis cogitavit, necessario extra muros, cum in ipsa Urbe spatium satis amplum iam non inveniretur; Villa Hadriana, quam vocamus, constat, ut Horti Sallustiani, ex multis ædificiis hortis insertis.

Locus, quem Hadrianus elegit ad rem novam creandam, in excelsa tophaceaque planitie situs est, inter duos torrentes, qui in Anionem influunt. Ibi iam erat villa ante Augusti tempus exstructa, quæ fortasse pertinebat ad Hadriani uxorem, Vibiam Sabinam. Per viam Tiburtinam villa 17 milia passuum tantum distabat ab Urbis Porta Esquilina; insuper proximus Anio tunc erat navigabilis. Locus electus nonnulla alia emolumenta præbebat: eum transibant quattuor maiores Romæ aquæductus, unde necessaria aquæ copia deduci poterat, et in proximo erant lapicidinæ Tiburtini lapidis et aliorum lapidum; denique non longe aberant Aquæ Albulæ, fontes sulfurati Hadriano bene noti, qui adhuc sunt in usu.

Hadrianus studiosus erat etiam mathematicæ et architecturæ; quare ipse villæ dispositionem magnam partem concepit et de ædificandi genere statuit. Architecti Romani, qui iam ab altera dimidia parte secundi sæculi a.Ch.n. artem concamerandi ad fastigium duxerant, primo sæculo p.Ch.n. cœperunt tholos exstruere; hæc ars perfecta erat tempore Hadriani, quo Romæ exstructus est magnus Panthei tholus; non mirum ergo si Hadrianus tholos in sua villa habere voluit, et multi re vera ibi sunt; sed de hac re dissensionem habebat cum Apollodoro Damasceno, Traiani architecto, qui tholos deridiculi gratia vocabat « cucurbitas »!

Hæc villa maxima est villarum imperialium totius orbis Romani. Non certo scimus quousque extensa fuerint eius limites, sed in superficiem ad minimum patebant 120 hectareas, id quod amplius est quam totum oppidum Pompeiorum. Situs archæologicus, ubi ambulat hodierni lustratores, tantum superficiem habet 40 hectarearum.


Hadriani successores, ad minimum usque ad tempus Severorum, villam occupaverunt et locupletaverunt, quæ, quantum scimus, videtur satis integra mansisse etiam post finem imperii occidentalis. Inter longa

bella, quæ imperator Iustinianus, Constantinopoli sedens, contra Ostrogothos gessit ad Italiam recuperandam, Totila, Ostrogothorum rex, Hadriani villam medio sexto sæculo vastavit. Quare, Medii Ævi temporibus, villa, « Tivoli vecchio » vocata, omnino derelicta erat; inde quilibet poterat lapides auferre ad usum proprium.

Quinto decimo sæculo, humanistæ, qui veteres textus tunc exquirunt leguntque, scire cupiunt ubi sit hæc villa, de qua apud auctores antiquos agitur. Biondus Flavius valet situm reperire et Papa Alexander VI, qui Romæ tunc sedet, primas effossiones faciendas curat. Statua pulcherrima detegitur, quæ vocatur « Musa seducta » et hodie Matriti servatur in museo Prado. Papa Pius II Piccolomini villam lustrat.

Sexto decimo sæculo fiunt assiduæ effossiones, quarum solus scopus est thesaurus invenire, statuas scilicet et opera musiva. Sic locupletantur collectiones paparum et cardinalium. Inter quos eminet cardinalis Hippolytus d'Este, Lucretiæ Borgiae filius, qui villam habere cupit etiam in Tiburtino sitam. Pro eo architectus Pirrus Ligorius vetus palatium Vescovile ibi transformat in splendidissimam villam, ad quam ornandam non dubitat omnis generis copiam e villa Hadriana eripere.

Septimo decimo sæculo permulti humiles privati villam effodiunt. Ex eis familia Bulgarini adhuc possidet Academiam, in excelsa villæ parte sitam. Ibi inventum est exemplum generis operis musivi, quod vocatur opus vermiculatum; tessellæ tam parvæ et flexuosæ sunt, ut opus speciem picturæ præbeat. Delicatum opus in Academia solo inventum est unicum exemplum servatum celeberrimæ tabellæ, quam tertio sæculo a.Ch.n. pinxit Sosos Pergamenus; hæc pictura finge-



Exemplum Sosi operis in Museo Capitolino servati.



bantur columbæ e patera aurea bibentes. Eodem sæculo inventa sunt candelabra Barberini, quæ dicuntur, hodie in Civitate Vaticana servata.

Duodevicesimo sæculo Comes Fede villam emit et ibi cypressos aliasque arbores plantat, quæ situm adhuc ornant. Anno 1737 inveniuntur Centauri, opus Aristæ et Papiæ in museo Capitolino servatum. Tunc temporis affluunt peregrinatores Angli ; ex eis multi, qui « magnum circuitum faciunt », ut aiunt, non omittunt villam Hadrianam lustrare, sed etiam solent fragmentum aliquod secum reportare ; quare non dubitant opus tectorium de parietibus detrahere.

Undevicesimo sæculo exeunte, villa Hadriana, quæ multos possessores habuit, tandem fit proprietas publica. Regimen Regni Italiæ inchoat opera restorationis. Amplius quingenta artificiosa opera e situ tunc iam erepta erant, quæ dispersa sunt in omnia fere musea Romæ, Italiæ, quin etiam totius Europæ.

Res mira, usque nunc, nullæ magnæ effossiones stratigraphicæ factæ sunt ; nihil ergo certi scimus de gradibus decrementi et derelictionis villæ Hadrianae. Propter effossiones non scientificè factas, etiam non certo scimus, quo villæ loco inventæ sint pleræque statuae et opera musiva.

Ex ruinis, quæ post tot expilationes hodie supersunt, nobis vix fingere possumus villæ splendorem ; solum admirari licet eius maiestatem immensitatemque... Neque scimus ad quas ruinarum partes spectent nomina locorum in Historia Augusta citata, præter Canopum ; itaque pleraque nomina hodierna sunt ficta. Ne usus quidem multorum ædificiorum nobis notus est.

Sæpe dictum est Hadrianum in villa sua speciem mirabilium locorum, quæ in itineribus inviserat, habere voluisse, sed hoc negatur archæologia ; Canopus,

exempli gratia, exstructus est ante iter in Ægyptum ; mos enim Romanorum erat nonnullis villarum partibus nomina locorum celebrium dare ; idem fecerat Cicero, qui Academiam et Lyceum habebat in villa Tusculana.

Villam Hadrianam nunc invisimus. Difficultati cuiusdam iam initio occurrimus, cum nesciamus ubi olim fuerit aditus principalis. Sequimur ergo longam acclivemque semitam hodiernam, in cuius fine exhibetur schema villæ ruinarum. Quod cum conspicimus, ædificia et horti videntur inordinate dispositi, i.e. secundum diversos axes ; singula enim propriam habent rationem.

Prope schema, in loco nunc « Turris de Roccabruna » vocato, olim erat alta turris, de cuius summitate prospectus patebat in circumiecta. Ibidem in aliquo ædificio nunc exhibetur aræ archæologicæ exemplar minutum, anno 1956 laute confectum, in quo facile agnoscitur amplissima quadriporticus, « Pœcile » vocata, quamquam nescimus num hoc re vera sit eius antiquum nomen. Certe textus nos docent aliquam villæ porticum olim Pœcilen vocatam esse in memoriam illius Atheniensis, c.n. στοὰ ποικίλη, ubi exhibebantur picturæ clarissimorum artificum, sed plane nescimus quam. In exemplari minuto, cuius in hac pagina videtis photographema, bene aspiciuntur cellæ superpositæ (*Cento Camerelle*), quibus sustinetur brevius propiusque quadriporticus latus.

Longiora quadriporticus latera sunt 232 metra longa et breviora 97 metra. Longius latus ad septentrionem spectans est re vera duplex porticus, cuius tectum alta spina sustinebatur ; solum hodie superest spina, i.e. longus murus 9 metra altus. Fortuito compertus est



Quadriporticus piscina.



Æcus Philosophorum.

usus huius duplicis porticus ; nam inscriptio duodevicesimo sæculo inventa docet longitudinem porticus esse 1450 pedum (429 m.), id quod congruit cum spinæ circuitu ; is, qui circuitum septies ambulat, duo milia passuum (circiter 3 chiliometra) emittitur, ut legitur in eadem inscriptione ; hæc est ambulatio, quam medici merito commendabant cottidie faciendam, ad bonam valetudinem servandam.

Quadriporticum circumdat hortum, quem in medio ornat piscina 100 metra longa et 25 metra lata ; postquam eruderata est, ita integra apparuit, ut aqua impleri iterum posset ; cycni nunc ibi eleganter natant.

Ad tantam quadriporticum exstruendam, naturalis area plana satis ampla non inveniebatur ; quare structores Romani non dubitaverunt eam aggere extendere, quem continet structura 15 metra alta, hodie « Cento Camerelle » vocata ; hæc permultæ cellæ, in quattuor superpositis zonis dispositæ, servorum habitationes



Theatrum maritimum.

erant ; ad cellas superiores accedebatur per scalas ligneas.

Multæ etiam erant viæ subterraneæ, per quas ministratio nobiliorum ædificiorum discretim fieri poterat ; hæ viæ partim accessibiles erant curribus.

E quadriporticu per scalas accessus datur in magnum cœcum abside præditum, qui hodie vocatur « Æcus Philosophorum », propterea quod in absidis pariete sunt septem cavitates, ubi inventores putabant signa Septem Sapientium exhibita esse.

Æci solum et parietes obtecti erant porphyretico marmore, quare moderni archæologi putant eum fuisse sedem consilii.

Æcus Philosophorum androne coniungebatur cum miro ædificio, quod vocatur « Theatrum Maritimum », quia in anaglypticis epistyllis ostendebantur scænæ maritimæ. Hoc ædificium constat e porticu et canale, forma circulari, qui insulam rotundam circumdant.

Porticus camera tegebatur, quam sustinebant columnæ ionicæ ; nonnullæ earum iterum erectæ sunt. Canalis transeundus erat duobus ligneis versatilibusque pontibus, quibus iam in fine Antiquitatis substitutus est pons latericius.

Ipsa insula erat domus parva sed vera, cui nullæ deerant commoditates ; repertæ enim sunt fauces, atrium, peristylum circa parvum hortum, duæ exedræ, duo cubicula, duæ latrinæ singulares necnon parvæ thermæ cum frigidario, unde per scalas accessus dabatur in canalem ad natandum.



Faunus ex marmore rubro.

In insula inventa est pulcherrima Fauni statua ex marmore rubro, quæ nunc in Museis Vaticanis servatur.

Lautitiæ et singularitas Theatri Maritimi indicant hoc ædificium non solum destinatum esse ad proprium imperatoris usum, qui ibi ab agitatione mundi tranquille recedere posset, sed etiam ab eo ipso excogitatum esse. ❧ *(continuabitur)*

DE CONDICIONIBVS VSVS LINGVARVM SOCIALIBVS AD VIVAM LATINITATEM QVOQVE PERTINENTIBVS (I)

– scripsit Lucas Willemarck –

I - INTRODUCTIO

Si quis ad usum linguarum ordinandum de lege ferenda regulas edicere vel de moribus dicendi probandis normas proponere voluerit, necesse est primum explicare linguæ naturam, quippe quæ præcipue utilis sit hominum commercio cuiusque generis promovendo, deinde inquirere quæ voces, quæ genera dicendi a quo quos ad fines consequendos re vera usurpentur.

Quod si oportet reapse cognita habere varia genera dicendi, primum inspiciendi sunt mores dicendi, quia suis quodque genus virtutibus sustentatur, præsertim si aliud ab alio multum differre eo perspexeris, quod alia argumenta ad aliorum audentium animos permoveandos adhibentur.

Si linguam modo sociali explicaveris primum inter omnes constat eam intellegi non posse nisi velut instrumentum communicationis, quod non solum multos variosque ad usus adhibetur sed etiam multis modis certaminibus politicis iunctum est.

In rebus politicis gerendis omnibus rationem habeas oportet, cum eorum quæ sint atque ventura trahantur, tum quæ esse debeant, antequam, variis elementis in utramque partem perpensis, quodnam consilium capiendum sit, decernas. Namque quæ de usu linguarum decreta sint non ab ipsa lingua tantum, verum etiam a consiliis publicis captis capiendisquoque pendent, quod ne ordinatio linguarum quidem imperio rei publicæ excipitur.

Quæ cum ita sint, fieri non potest quin illa ordinatio non sola linguæ natura regatur, sed re vera inter alia a statu politico rei publicæ dependeat, quænam civitas qua rerum gestarum gloria, opum ubertate et vero etiam linguæ claritate antecesserit.

II - HISTORIA

Historiam respicienti valde patet, cum præsertim in Europa satis magna semper fuerit linguarum varietas, earum momentum decursu sæculorum multum esse mutatum, quod aliud imperium aliud exceperit, ubi alia lingua erat in usu. Temporibus mediæ ævi atque litterarum renascentium res publica litteraria florebat per totam Europam, cum docta colloquia inter studiorum universitates, professores studentesque linguæ communis latinæ gratia facile instituebantur.

Per totum duodevicesimum sæculum tanta erat potentia regni Francogallorum ut eius linguæ gloria in annos cresceret, immo vero aliæque quoque civitates incitarentur ad usum illius linguæ, quo luce clarius patebat potentissimam quamque civitatem non opibus tantum sed culto civili quoque præter ceteras tam excellere, ut lingua eius per totam Europam latinatam

universalem magis magisque vinceret.

Mutatis mutandis, ordo rerum publicarum cum iterum iterumque everteretur aliudque imperium alii succederet, alio alio rapidius crescente opibus, fieri non potuit quin potentia Francogallorum undevicesimo sæculo minueretur, postquam Angli maria regentes maiorem orbis terrarum partem in suam redegerant dicionem. Post secundum autem bellum mundanum cum Americani rerum sint potiti, ordo civitatum novus est ortus ubi vix quicquam inter nationes ordinari posset Americanis invitis.

Cum ita res se habeant, cultus civilis americanus eiusque lingua anglica in annos maioris fit momenti, ut, quidcumque agitur sive in rebus politicis sive in aliis cuiusque generis gerendis, lingua potentissimæ totius orbis terrarum civitatis non tantum adiumentum communicationis sed nonnullis in rebus potius instrumentum dominationis habeatur.

Rebus sic stantibus, quo modo æqualitas linguarum augeri possit inquirendum est ad periculum minuendum ne civium iura anglicæ linguæ usu non callentium immerito lædantur.

III - DE ÆQUALITATE LINGUARUM

Linguæ cum sint civitatibus iunctæ, quarum alia alii opibus famaue antecedit, æqualitas civitatum minoris potentiaæ facile recusatur, præsertim si cives talis civitatis lingua parum nota utentes communicationis causa aliena lingua uti coguntur præstantiore latiusque diffusa.

Quæ æqualitas servari non potest nisi suo cuique patrio sermone uti liceat, ne alia cogatur lingua uti maioris civitatis gloria aucta.

Quod si suam cuique adhibere linguam licet sive nuntios mittenti sive recipienti, etiamsi quavis gloria, qualibet auctoritate alia aliam superaverit, ea demum suprema linguarum æqualitas habenda est.

In linguis usurpandis vero semper idem velle atque idem nolle, ea demum suprema æqualitatis recusatio est, licet firma amicitia appelletur. Altera methodus æqualitatis servandæ in eo consistit quod tertia lingua communicationis causa eligitur neutri loquentium notior necnon utrique aliena.

Difficile autem est linguam reperire, quæ reapse neutri prodest, quod varias ob rationes, sæpe fit ut utervis loquentium aliam alia facilius discat, exempli gratia propter similitudinem patrii sermonis.

Æqualitas tandem non servatur si utrivis licuerit sua ipsius lingua uti, quæ cum sibi sit maximo commodo colloquentibus tamen maximo incommodo.

Lingua anglica vero, etsi potentia civitatis Ameri-

canæ propulsa in dies ubicumque terrarum sæpius tertiæ linguæ officio fungatur, anglice tamen pro patrio sermone loquentibus immerito favet, necnon alios sine ulla ratione in communicationis discrimen adducit.

IV - DE USU LINGUARUM A CIVITATES REGENTIBUS PROMOTO

Inspiciamus nunc quo modo res reapse se habeant, quis, quibus temporibus, quem ad usum qua utatur lingua. In parlamento quidem Europæo legatorum iura æque servantur, quod cuiusque verba viva voce prolata statim omnes in ceterarum civitatum linguas vertuntur. Sive de lege ferenda sive de lege lata nihil imprimi potest nisi omnes in communitatis Europææ linguas versum.

Tale vero exemplum optimum raro præbetur propter nimiam pecuniam publicam linguarum æqualitatis servandæ causa erogandam.

Quo magis institutum ad uniuscuiusque civis commoda spectat eo maioris momenti est regulam iustitiæ in linguis distribuendis servari. Quam ob causam hæc regula maxime valet in parlamento ubi nihil legitimum habetur nisi a civibus legatisque omnibus sua ipsorum lingua utentibus facile intellegatur.

Quo minus officia perseguenda directe ad ipsos cives eorumve legatos spectant, eo minor habenda necessitas iustitiæ linguarum, sicut in rebus Unionis Europææ externis gerendis, ubi in cœtibus legatorum res tantum anglice vel francogallice aguntur, quod talis est consuetudo iuris Europæi.

Rebus sic stantibus facere non possumus quin animadvertamus regulam democraticam tantum in parlamento omnem adhiberi, quod sæpius fit ut varias ob rationes numerus linguarum finiatur finibus quos sibi persequendos proposuerunt varia instituta Europæa.

In rebus autem unitarum nationum gerendis sex tantum linguæ admittuntur quippe quæ magno usui sint potentissimis civitatibus.

Raro ergo fit, parlamento Europæo excepto, ut æqualitas linguarum in cœtibus inter gentes instituentis institutisque servetur.

Quod cum ita sit oportet tertiam linguam communicationis maxima cum cura eligere, sententiis omnium in utramque partem perpensis, quia periculum est ne potentissima atque amplissima quæque civitas vehementissime suum commodum persequatur, aliarum utilitate neglecta immo vero recusata. Tale periculum ut vitetur, tertia lingua quantum fieri potest inter eas eligenda videtur quam minime potentissimis civitatibus iunctas.

Cum autem civitatibus minoris potentiæ voluntas et facultas suæ ipsarum linguæ proponendæ desit,

quippe quæ, invitis potentioribus, non eligatur, lingua latina optatissima videtur, quæ non iam ulli civitati iuncta neque ulli favens per multa sæcula commercium gentium promoverit atque optimum instrumentum sermocinandi cum doctis totius orbis terrarum præbuerit.

Timeo tamen ne tale propositum quamvis rationale parlamento non placeat, quod, institutione latina longe immerito neglecta, ne philologis quidem vivæ latinitati faventibus, legati non sunt litteris latinis satis eruditi ut huic facultati, iustitia servata, inter se communicandi credant.

Rebus autem intra civitates gestis inspectis, eo ancipitior fit causa, quod quæ inter gentes quam optatissima videntur eadem intra civitatis fines recusantur.

Francogalli exempli gratia, cum intra civitatis fines nationis unitatis atque sumptus minuendi causa regulas stricte in favorem suæ ipsorum linguæ adhibere soleant, in cœtibus tamen inter gentes instituendis institutisque multam dant operam ut præter anglicam francogallica quoque lingua maxime promoveatur.

Cum ita res generatim se habeant, ut quæque civitas æqualitatem democraticam linguarum tenacissime a regentibus supra institutis postulat, ita facillime eandem suæ dicioni subiectis denegare solet.

V - DE USU LINGUARUM A CIVIBUS PROMOTO

Licet multis modis civitas usum linguarum coercuerit, tanta usu est varietas, quorum alius finibus mercatorum favet alius proprio cuiusque populi cultui civili servit, ut, aliis maioribus opibus alios superantibus, leges a regentibus latæ re vera propter vim deficientem non adhibeantur.

Facile vero fit ut fines mercatorum sub specie linguarum libertatis ad divitias augendas promoti finibus cultus civilis fovendi contrarii sint.

Tali in casu regentibus statuendum est finium inter se pugnantium uter utri antependendus sit sive commercium liberum proprio cultui civili sive cultus civilis commercio.

Quod suos quisque locutor fines persequitur, cui, instrumentis quidem communicationis inter alia interretis gratia maxime auctis, variæ sunt facultates nuntii quocumque mittendi, periculum oritur ne regulæ ad usum linguarum ordinandum a regentibus latæ facile subvertantur.

Quod non difficile est intellectu, quia quo latius lingua est diffusa eo magis eadem maximi effectus causa eligitur, quamvis tale consilium quibusdam regulis democraticis sit contrarium. Quam ob rem lingua communicationis causa electa sæpius est anglica, licet neutrius locutoris patrius sit sermo, etiamsi, legislatore

tamen obstante, æqualitas linguarum atque defensio propriæ culturæ ita recusatur.

Normæ ad usum linguarum institutæ reapse non adhibentur, nisi non nimis a moribus locutorum abhorreant, quod normæ invitis civibus impositæ generatim minoris sunt efficientiæ quam ut vi ad effectum adducantur.

Quod cum ita sit, ipsi iuris periti iam longe noverrunt consuetudinem certam contra legem interdum valere. Doctrina ludorum¹ quæ dicitur docet in rebus humanis optime gerendis principium « maximin » esse adhibendum.

Quo principio adhibito, ut cuiusque linguæ minima scientia latissime diffusa est ita quam frequentissimi locutores eiusdem utilitate maxima ad colloquia adducuntur.

Quam ob rem illud principium linguam anglicam latissime diffusam maxime fovet, latinæ contra nocet propter minimam locutorum copiam.

Etsi lingua latina æqualitatem iustitiamque distributam servandam respicienti anteponenda anglicæ videtur, quod illa nemini hæc contra imperio maximo favet, timeo tamen ne principio « maximin » adhibendo Americani Anglique illius certaminis linguarum per omnem orbem terrarum sparsi evadant victores.

VI - DE NORMIS ELIGENDIS

Variis argumentis additis nemo dubitare potest quin tanta locutoribus oblata sit varietas dicendi quæ neque natura humana describi neque lege ferenda coerceri possit. Ut paucis tandem rem complectar linguarum usus lege cohiberi non potest nisi norma adhibenda caute definiatur ad periculum evincendum ne dignitas legis legibus vix observatis minuat, immo vero pervertatur. Quod vero facile fieri possit cum in rebus politicis tum in rebus socialibus atque mercatoriis quotienscumque locutoris libertas maior est quam ut lege constringatur.

His diebus nulla est civitas cuius cives non variis nationibus sint oriundi, quarum diversi modi dicendi inter se differunt quod suum quisque finem persequitur. Ratio mercatoria multum valet in lingua anglica ad maius lucrum consequendum electa, quod re vera mercaturæ commoda ita augentur, etsi argumenta sub specie libertatis vel scientiæ promovendæ proferuntur.

Editores, exempli gratia Germaniæ, cum scriptoribus ut anglice scribant suadeant, non scientia universali fovenda sed potius maioris mercatus lucro moventur.

Nonnullis in civitatibus regentes multam dant operam, ut fit apud Francogallos, ad suam ipsorum culturam integram conservandam, ne cultus civilis Americanorum liberi commercii gratia ceteros superet. Quæ

cultura si in discrimine versatur, regentes decernant oportet utrum cultura libero commercio anteponenda sit necne.

Quocumque res se habet fieri non potest quin variorum locutorum fines inter se pugnent, quos qui diiudicare voluerit necesse est normam adhibeat ad fines in salutem omnium iuste ordinandos.

VII - FUNDAMENTA PHILOSOPHICA

Si de normis agitur ille D. Hume clarissimus philosophus memorandus est qui quid inter normas et re vera facta interesset iam duodevicesimo sæculo docuerit, cum sententiam ferret fieri non posse ut norma e factis colligeretur, quod termini syllogismi eiusdem essent naturæ oportebat ut alterum ab altero colligeres. Argumenta tamen e factis illata magni sunt momenti etiam ad normas ipsas constituendas. Qua de causa normæ non probandæ videntur, nisi effectuum earum rationem habeas. Licet esse non idem sit ac debere, utrumque tamen bonis argumentis confirmandum videtur, quæ cum in doctrinis tum in normis probandis reperiri non possunt nisi effectibus omnibus sive bonis sive malis cognitis.

Ut uniuscuiusque artis doctrinæ confirmandæ videntur dummodo effectus earum ipsis factis reapse perceptis contrarii non sint, ita normæ ethicæ sustineri non possunt si effectus earum mali obstant quominus probentur.

Cum nonnulli fines varias ob rationes ad effectum perducere non possint, oportet in finibus secundum normas definiendis eorum rationem habere quæ re vera fiunt, ne vel optatissimi fines exitus quam pessimos producant. Quam ob rem philosopho K.R. Popper adsentimur utramque sententiam cum de normis tum de factis latam, licet altera ab altera differat, simili modo esse probandam, etsi regula factis consentiendi non eadem est ac optatissimo bono consentiendi.

Ut sententias scientificas ferimus quibus re vera sunt quam maxime consentaneas, ita nulla sententia ethica optatissimum bonum expromit nisi recte meritoque quorum re vera sunt rationem reddiderit. ❖

(continuabitur)

1. Doctrina ludorum = game theory, théorie des jeux, speltheorie.

POEMATIA GASPARIS MVRTOLÆ (ca. 1570-1624)
IOHANNEM IOVIANVM PONTANVM QVI EST IMITATVS (I)

- quæ proposuit Theodericus Sacré -

Gaspar Murtula sive Murtola vitam Genuæ introiit anno circiter 1570; qui postquam ita incubuit ad studia philosophiæ et iuris, ut victum ille quidem inde quæreret, at Camenam sive Tuscam sive Latinam longe præamaret, diversas in aulas se insinuavit; itaque ineunte sæculo XVII una cum Savonensium episcopo, qui nuntii apostolici munere apud Carolum Emmanuelem, Sabaudia ducem eius nominis primum, tum fungebatur, Augustam Taurinorum se contulit; ibi duci illi a secretis mox est creatus. Dum apud eum principem versatur, Iohannem Baptistam Marinum cognovit, poetam clarissimum; quo factum est ut de poesis principatu inter se contenderent Marinus et Murtula. Invidia autem, mox iræ quoque litesque eo processerunt, ut, cum alter alterum maledicis carminibus sæpe carpsissent, ad arma confugiendum esse staterit Murtula Marinumque interficiendum; quem interfecerat sane, nisi quo sclopo inimicum occidere voluit, eo alterum virum eius lateri affixum mortifere cecidisset. Deinde in carcerem est inclusus, in quo egit menses complures; e vinculis nescio quomodo exemptus domicilium sibi Romæ constituit. Ibi qua erat humanitate, argutia, eloquentia Paulum V pontificem maximum (1605-1621) patronum fautoremque est nactus; eidem pontifici diu Murtula serviebat¹; siquidem auxilium ipsi præstabat in oppidis regundis. In Urbe videtur diem suum obisse anno 1624. Cecinit Italice *Mundi creationem* (Venetiis, 1608), Bartasium, ni omnia fallunt, imitatus. Quæ vero ex uberrima eius vena Latina profluxerunt, viros doctos, qui nunc sunt, fere latent. Eminent inter ea nenix aliæque puerilia, quorum ingens est numerus. In his Pontani (1429-1503), divini illius poetæ, vestigiis omni luce clarius est ingressus Murtula atque id quidem ita, ut de hoc poeta iudicare posse mihi non videaris, nisi illius vatis libros *de amore coniugali* omnium suavissimos legeris neniasque eas duodecim evolveris, quas ille circa annum 1470 scripserat edideratque.² Ceterum rem ipse Murtula confessus est dum Ludovico Cardinali Ludovisio librum dedicat: « Io. Iovianus Pontanus etiam, qui a litteris Alfonsi regis Siciliae fuit (...), in Luciolum suum infantulum nenas duodecim mira gratia et lepore lusit autorque primus huius argumenti, quem ex antiquis et recentioribus sciam, mihi imitationis et commendationis non arctum angustumque locum, non tritum pressumque iter reliquit. »³ Quod cum ita sit, timeo tamen ne tædium fastidiumve legentibus afferant nenix aliæque id genus poematia Murtulana, tum quod nimium multa conscripserit, tum quod ad idem dicendi semper genus descenderit satis artificiosum (nullum enim ille modum adhibuit

in iterationibus repetitionibusque, nullum in nominibus deminutis creandis, nullum in verborum sonorume lusibus), tum quod virum interdum putem sermonem emendatum elegantemve esse parum assecutum. Ceterum editio quam ipse consului, iis nonnumquam mendis deturpatur, quæ mihi non ipse poeta, sed typographus incuriose admisisse videatur. Nihilominus, dum pauciores ex iis delibemus nenias satietatemque in ipsis afferendis caveamus, fieri sane potest ut versiculis eis fruamur et ut aliquam ipsi delectationem habeant. Quem enim non moverit mellitulus hic hexameter: 'Somne, veni, somnille, veni, somnule, somme'? Itaque viris recentioris poeseos Latinæ amanti- bus suaserim ut ab oblivione neglectoque vindicent Murtulam eumque paulo studiosius lectitare dignentur.⁴

I. *Somnum fugientem Nutrix revocat*⁵

Somne, fugis! Quo, somne, fugis? Te subtrahis, ah te!
Somne, redi, redeas, blandule somne, redi.
Venisti sero; nimium cito, somne, recedis!
Somne, redi, redeas, blandule somne, redi.
Clælia non unam dormivit molliter horam:
somne, redi, redeas, blandule somne, redi.
Multum dormiscunt pueri multumque puellæ:
somne, redi, redeas, blandule somne, redi.
Non lacrimant somno pueri clamantque puellæ:
somne, redi, redeas, blandule somne, redi.

II. *Nutrix ex turpitudine et inelegantia aliorum infantulorum venustatem et elegantiam sui pueruli commendat et admiratur*⁶

Nullus (crede mihi) puer est te pulchrior, Hile,
nullus (crede mihi) mundior et melior.
Pannosus puer est Cicius et pauperculus idem⁷
semperque attritis vestibus ille suis.
Porcellus puer est Ilco mucosaque semper
dependet naribus stiria turpiculis;
Labra resupino gestat⁸ turgentia rictu;
et pappant spurci Lillus et Hippolytus.
Sunt duo buccones Ivo et Mauritius ingens,
sunt duo frontones Aulus et Eugenius.
Tu solum munda incedis, mi pupule, palla,
sericulo solum tu mihi palliolo.
Nec frons turpis inest nec turpia lumina, nec te
ingentes buccæ labraque dedecorant,
sed totus pulchellus ades; limataque tota,
omnia bella insunt, bellule puce, tibi:
frons, oculi, genulæ, oscillum pectusque latusque,
bracchiola et manulæ, tibiolæ et peduli,

et lepor et ioculi, risus simul atque cachinni,
et Venus et pulcher qui tibi ludit Amor⁹.

III. *Quærit cur sic ex abrupto sua infantula ingemiscat*¹⁰

Unde, meum cor, tot lacrimæ? Unde, heu, unde tot inter-
rupti singultus, bella Isabella, tibi?
Num fuit Erminia, istos quæ¹¹ tibi crudula fletus
excussit, ductrix num fuit Erminia?
Erminia¹², Erminia, ah tantum es tune ausa? Petamus
illam. Hæc, hæc tibi habe verbera – et hæc tibi habe.
Heu gemit Erminia, heu luget queriturque misella
et fecisse mali nil ait illa tibi.
O miseram Erminiam! Blandire huic, pupula, blande:
non fuit Erminia, heu, non fuit Erminia.
Gracculus¹³ ille fuit, qui te, mea pupa, momordit
quique malum fecit Gracculus ille fuit.

IV. *Ex eo quod somnus fit etiam infantulus et puer ad
puerum suum magis libenter veniendum invitat*¹⁴

Næniolam cantillo meo dum, somnule, pupo,
ad pupum venias, pupule somne, meum.
Tu quoque blandidulus puer es, mellitule somne,
tu quoque pulchellus, somne, puellus ades.
Ad puerum ergo puer venias, placidissime somne
adque meum pupum, pupule somne, veni.
Cum pueris ludunt pueri luduntque puellæ;
itant cum pueris et pueri et pueræ.
Nam similes mores similisque ætatula in illis
est et lusilli blandiduli ac ioculi.
Ergo puer puero facilem te, somnule, præsta,
ergo, puer, puerum, blandule somne, fove.
Somne veni, somnille veni, somninule, somne,
cum puero accubitum, somnule pupe, veni. ❀

1. Cfr. Ianus Nicius Erythræus, *Pinacotheca imaginum, illustrium, doctrinæ vel ingenii laude, virorum, qui, auctore superstite, diem suum obierunt* (Colonix Agrippinæ, 1645), pp. 33-34; G. Ghilini, *Teatro d'buomini letterati (...)*, II (Venetiis, 1647), pp. 104-105; R. Soprani, *Li scrittori della Liguria, e particolarmente della maritima* (Genuæ, 1667), p. 112; G. Fulco, 'Giovanni Battista Marino', in E. Malato (ed.), *Storia della letteratura italiana, 5: La fine del Cinquecento e il Seicento* (Romæ, 1997), pp. 597-652 (pp. 604 et 614-616); G. Jori, 'Poesia lirica « marinista » e « antimarinista » tra Classicismo et Barocco. Gabriello Chiabrera', *ibid.*, pp. 653-726 (pp. 680-681). Locos quosdam et Murtula selectos attulerunt C. Ossola, *L'animo in Barocco. Testi del Seicento italiano*, I testi e le fonti, I (Augustæ Taurinorum, 1995), pp. 15-30; 198-206, et *Anthologie de la poésie lyrique latine de la Renaissance*. Textes présentés et traduits par P. Laurens, Collection Poésie, 392 (Parisiis, 2004), pp. 260-275; 421-422.
2. De Pontani næniis egerunt G. Parenti, 'Nænia', *Inventario*, 21, 7 (1983), 45-60 (obiter memoratur et Murtula); S. Carrai, *Ad Somnum. L'invocazione al sonno nella lirica italiana*, Miscellanea erudita, 48 (Patavii, 1990), pp. 47, 105-106, 143-145, 191; conferas etiam libri huius existimationem quam edidit C. Caruso, *Giornale storico della letteratura italiana*, 170 (1993), 121-126 (nam p. 126 Murtulæ fit mentio); L. Monti Sabia, 'Un canzoniere per una moglie: realtà e poesia nel *De amore coniugali* di Giovanni Pontano', in G. Cortanzaro - F. Santucci (edd.), *Poesia umanistica latina in distici elegiaci. Atti del convegno internazionale Assisi, 15-17 maggio 1998* (Asisii, 1999), pp. 23-65; A. Smeesters, 'Les berceuses latines de Pontano et leurs sources antiques', *Humanistica Lovaniensia*, 53 (2004), 93-114.
3. Murtola, *Næniæ*, p. 9.
4. Altera huius commentationis pars indicem verborum non antiquorum continebit.
5. *Gasparis Murtolæ theologi et iuriconsulti Genuensis ac a secretis olim Serenissimi Caroli Emmanuelis ducis Sabaudix Elegantissimæ næniæ (...)* ad *Illustrissimum et Reverendissimum Principem Ludovicum Ludovisium S(anctæ) R(omanæ) E(cclesiæ) Cardinalem (...)* (Maceratæ, 1622), lib. I, p. 28 (nænia 15). Hæc videtur esse editio quinta eademque auctior; usus sum exemplo quod Romæ in Bibliotheca Angelica asservatur. Antea produisse videntur uno libro comprehensæ Pontani et Murtolæ næniæ (Maceratæ, 1618 et fortasse Augustæ Taurinorum 1606).
6. Pp. 274-275 (gratia 7 - nænia 201).
7. Fortasse legendum: « Pannosus puer est Cicius, pauperculus idem »; Cicii nomen solet enim esse apud Murtulam bisyllabum, producta prima syllaba.
8. Gestat *ed.*: fortasse gestant præstat.
9. Amor *scripsi*: amor *ed.*
10. P. 259 (vagitus 8 - nænia 184).
11. quæ *scripsi*: qui *ed.*
12. Erminia *scripsi*: Ermina *ed.*
13. Est nomen canis.
14. P. 16 (nænia 4).

DE « REGVLI » VITÆ VLTIMIS HORIS

– *quam fabulam Gallice scriptam in Latinum vertit Georgius Andreas Bergère* –

Aeroplanum ab aeriportu Charm el Cheikh recte atque ex ordine avolaverat. Sed post decem minutas, irrevocabiler, machina cadebat. Mihi nihil supererat, nisi ut in Sinaiticum desertum leniter appellere conarer, ne in Mare Rubrum me mergerem. Sed machina in terebræ modum decidebat, unum ex motris ardebat, radiophonum interius iam non respondebat. Fere omnia mihi adversa erant et, ut in talibus casibus fieri solere dicitur, totius vitæ meæ recordatio mihi subire debebat. Mirum tamen in modum nihil aliud iam mihi occurrebat, præter casum unum, alioquin haud magni momenti : excursionem quamdam, æstate præterita factam, in parte septentrionali Mosellæ, in Castellum Malbrucianum, et lustrationem draconum expositionis : draconum urbanorum, draconum rusticorum, Europæorum, Asiaticorum, draconum ridentium, draconum flentium, aliorum ignem spuentium, aliorum nihil spuentium, draconum malignorum, draconum benignorum. Quæ expositio, si libello de ea scripto credebatur, admodum « pædagogica » erat, et maxime idonea ad attentionem puerorum in scholis versantium detinendam ; dracones re vera, non existere, sed nihilominus antiquius nihil habendum esse doctoribus et magistris, nisi ut discipulorum suorum greges, cœnautocinetis refertis, ad dracones visendos adducerent. Nam nunc temporis quod virtuale est, verum est. Et equidem mihi videre videbar, dum aeroplanum irrevocabiler descendit, magistram iuvenem, elegantem admodum, quacum, ut a fastidio draconibus mihi allato animum abducerem, de huius « culturalis » excursionis utilitate disceptaram. Alacriter miscendo Rimbaldum, Harrium Potter, Aliciam in terra mirabili, Nosferatum Strigem, Patremque Natalicium, illa mihi demonstrabat, omnino necesse esse omnia illa pueris narrare, ad vim eorum imaginativam stimulandam. Cum ingenii in cogitando tardioris sim, hic et nunc demum, dum aeroplanum gubernare conor mihi iam non obediens, omnia quæ ei tum obiicere poteram inveniebam : Quid si, adultam ætatem adepti, cum se delusos esse viderint, evadent nulli rei credentes, si in scepticismum funditus cadent, et si somnia ideo terribilia noctu videbunt ?...

Ex cogitationibus meis subito ictu excitatus sum, fragore ingenti, calore intolerando, collisu laminarum ferri : aeroplanum, cui adhuc supererat compages appulsoria integra, aliquotiens sicut locusta super collibus arenosis exsiluit, deinde pronum se inclinavit, denique immobile constitit. Mihi successit ut ex cella exirem, atque, extinctorio utendo, præcipuam aeroplani partem servarem. Circum me, silentium. Iam vesper erat in deserto Sinaitico, rupes planitiem arenarum flavam concludentes diversis coloribus tingens, roseis,

malvaceis, cæruleis, aureis. Pax immensa totum terrarum orbem circumfundere videbatur. Solus eram, mirifice solus, nequaquam vulneratus, nequaquam territus, quasi extra tempus situs. Sine ulla causa, sibilare primum, deinde cantilare incepti canticulum iampridem apud « Pueros Exploratores » auditum : « Deum videre volo ; eum oculis meis videre... », dum hoc tantum doleo quod mecum non erat machinator, neque vector, ut tribus vocibus vicissim adhibitis id canere possemus.

Tum demum mihi apparuit, non quidem Deus, sed puellus quidam singularis admodum, pallio purpureo indutus, corona capiti imposita, eius simili quæ ei imponi solet qui fabam in placenta repperit. Capilli flavi in fronte eius sparsi erant. « Ego te cognosco » putavi « historiam tuam in omnibus scholæ gradibus me dederunt legendam. In editione imaginibus ab auctore delineatis illustrata. Erat quoque phonodiscus sulcorum minorum quem, quotiescumque ægrotabamus, audire in valetudinario debebamus. Et, in fine, flere solebamus. Postea etiam locos libri aliquot in Latinum vertimus... » Ita, cum, incerto gradu, vultu subdolo, ad me appropinquabat, mecum cogitabam : « Utinam a me ne petat ut ovem sibi pingam ! » Tum tamen ecce ante me stabat, mihi nulla copia erat eum vitandi.

« Pinge mihi draconem ! » acuta voce dixit. Optime ! Ad nova communia studia se accommodasse videbatur. Verum est ovium pastionem in Unione Europæa nisi largitionibus compensativis adhibitis iam non prospere geri. Quid dicam ? Draco aliud non esse nisi ovis compensativa videtur. Sed ego stomachans : « Nonne urbanitatem didicisti ? » – « Ah recte ! Sis, pinge mihi draconem. » – « Draconem ? Draconem pingere difficillimum est ! Nunquam potero. » – « Ergo, pinge mihi suem ! ». Cum nihil mihi longius esset quam aeroplani mei refectio operam dare, e sinu meo graphium sphæratum prompsi (feliciter hoc instrumentum in usum publicum venerat, id quod anno MCMXLIV nondum contigerat) et dominum veste cum focali indutum infabre descripsi. Rabide exclamavit : « Hic non est sus, hic est dominus veste cum focali indutus ! ».

« Quid ergo ? Nonne scis, in unoquoque viro Gallo suem quemdam dormire ? Iste sus, quem vis, in eo inest. Non enim isti alteri tantum negotium facessisti, cum arcam duobus foraminibus ad aera admittendum munitam tibi pinxit. Quin immo ovem tuam dormientem inspexisti ! » – « Cum altero colloquendi facultas erat. Ille non fesus erat ut tu. Ingenium suum puerile adhuc servaverat. Mihi pinxit etiam elephantum in boa serpenti concoctum. » – « Illo tempore certe tu facilius eras. Postea historiam tuam incredibilem omnibus pueris Gallis legendam dederunt, obliti scilicet somnia ista

tua vana et inania in mortem voluntariam desiisse. Hocne erat quod eos docere volebas? Ut in pueritia prolata viverent, et postea mori mallent quam adulti fieri?» – «At rosam meam, ovem meam, vulpem meam, omnia hæc somnia vana et inania vocas?» – «Rectissime quidem! Haud minus vana et inania quam homunculi virides cum petasis plumosis, qui per fenestras avolant, Pater Natalicius, nani cærulei, lupus magnus et maleficus, puellæque in chartis lusoriis deambulantes.»

Flere incepit, sed ei solatium afferre nequaquam mihi vacabat. Motrum mihi erat reficiendum. Alioqui sine dubio siti moriendum erat, eo magis quod aquæ mihi reservatæ participem facere istum molestum puel- lum debebam. «Si cnodax hic mihi obstare non desinit» mecum cogitabam, «clave Anglica eum eiecturus sum!». Denique tandem cessit cnodax. Puellus adhuc ante me stabat, nasi rubri pituitam retrahens. «Nonne me adiuvaré possis?» inquam. Visne nos ambos hic siti mori? An indicem librorum tibi legendorum tibi faciam? Puella Pila-Sebosa cognomine, Primus fune colligatorum in Alpibus, Iter ad extremam noctem factum. Unde ordiamur. Quæ narrationes te extrahent ex ovibus, rosis, vulpe tua (quanquam hæc verissima est fabulæ tuæ personarum, nam sententiam profert rectissimam: «Nihil est perfectum»). Pituitam nasi retrahere non desinebat, neque respondebat.

«Audi, visne nos aliquid experiri? Rationem tuam poeticam adhibebo. Audio aeroplana quæ nos quæsitum veniunt. Gubernatione per satellitem non expedita, quæ efficiat ut cognoscant qui simus, brachia nostra tantum ample movebimus. Quoniam tu quidem credis esse puteos in deserto, res incognitas in aere volantes, dracones, fortasse illi nos adiuvabunt... *Incb Allab!* (Si Deus voluerit!)»

Re ipsa nos prospexerant. Aeroplanum Gallicum descendebat, et circum nos circumagebatur. Vultum gubernatoris aliquantulum anxium etiam discernebamus. Deinde polyboli fistulam in nos directam. Displosio. Deinde nihil.

CONCLUSIO

Novissimi nuntii: Error tragicus (in ultima pagina Actorum diurnorum q.t. Respublicanus Lotharingicus).

In deserto Sinaitico, aeroplaniga quidam Gallus, in magnas difficultates delapsus, falso existimatus est tro-mocrates Islamicus. Minime intellegitur qua de causa gubernatione sua per satellitem (G.P.S.) usus non sit. Vulneratus, in proximum nosocomium, deinde in nosocomium Vallis Gratiae Lutetiæ situm, transportatus est, ubi nunc temporis media in morte tenetur. Puer qui eum comitabatur vulneribus suis non superfuit. Cui quid illic negotii fuerit, nescitur. Fortasse pædophilæ casus? ❀

FERVET OLLA, VIVIT AMICITIA adagium 423

DE ARTVRO KOESTLER DEQVE GRETA GARBO

- scripsit Victorius Ciarrocchi -

Etsi Arturus Koestler, qui die 5 Sept. 1905 Budapestini a parentibus Hebræis ortum habuit, diversimode ob eius singularem vitam et scripta æstimatur, tamen obliviscendus non est. Multarum linguarum peritus, scientiarum haud ignarus, alacri ingenio præditus, ætate viginti septem annorum bonam famam veluti diurnarius sibi comparaverat.

Iam ex anno 1919 regimini, quod Nicolai Lenin vestigia ingressus Bela Kun in Hungaria constituerat, favere cœpit. Postea iussu moderatorum factionis communisticæ Germanicæ, cuius particeps ab anno 1931 factus erat, itinera in Unionem Sovieticam suscepit: condicionibus complurium Russorum gravissimis perspectis, in eo fuit ut a communistarum factione descisceret; quod ne faceret eum tenuit victoria nazistarum, quorum barbariem ingruentem Arturus statim præviderat. Quare e Germania emigravit, et variis in urbibus tranquilliores vivendi modos invenire contendit, quamvis eius indoles tranquillitati minime proclivior esset. Lutetiæ Parisiorum id temporis ad philosophiæ Marxianæ præcepta vulganda et maxime ad regimen Sovieticum defendendum laudandumque omni ope contendebat Villelmus Muenzenberg, qui non sine caliditate multos homines e patria extorres allexit, quos inter etiam Arturus fuit. Hic, posteaquam anno 1936 bellum civile Hispanicum exarserat, pro republicanis pugnans ab hostibus captus est eumque ad mortem certam iam damnatum servavit quædam captivorum permutatio. Sed Arturum non fugit quam crudeliter adversus ipsos commilitones republicanos communistæ se gesserint. Quare anno 1938 factionem communisticam reliquit et deinde in Francogalliam se contulit. In libro c. t. « Fæx terræ » suam ipsius aliorumque contubernalium gravem condicionem Koestler narravit.

Famam autem adsecutus est amplissimam postquam anno 1940 librum composuerat « Meridies tenebri-cosus » inscriptum, quo innumera scelera describuntur a regimine Staliniano perpetrata annis præsertim 1937-1938. Tunc enim temporis ille tyrannus, cum suspiciosissimus esset ac suam ipsius potentiam augere vellet, etiam viros, qui ad novum communistarum regimen firmandum maxime sategerant, crudeliter insectatus est eosque capite damnari iussit. Nicolaus Rubasciov, qui primas eo in Arturi Koestler libro partes agit, quique infidelitate erga factionem communisticam patefacta arguitur, se ipsum accusatione illa dignum fatetur, ut communisticæ factioni, pro cuius triumpho totam vitam impenderat, usui esset quamvis omni culpa vacaret. At non ista fuit confessionum illiusmodi causa vera, ut Arturus falso putavit etsi eum de ipsis certiorrem fecerat mulier quædam Germana, nomine Heva

Weissberg, quæ e carcere 'Lubianka', in quem erat coniecta, solummodo propter legatum quandam Austriacum deprecatorem liberata est. Illæ enim confessiones semper tormentis animi ratione psychologica adhibitis ac sæpius cruciatibus extortæ sunt, sicut non pauci scriptores iam pridem erant suspicati ac post annum 1956, patefactis a Nicolao Chruscev immanibus regiminis Staliniani sceleribus, solis luce clarius fuit atque irrefutabile.

Ea igitur iudicia, ad quæ traducebantur homines iam metu ac tormentis excruciatii, ansam dant ut quæ-ratur cur tam crudelis præsertim apud Russos fuerit illa communistarum factionis dominatio. Responsum a vero non alienum forsitan continetur in Friderici Engels sententia hac: « Terror ab eorum hominum dominatione oritur, qui propter eandem timore sunt percussi atque ut in animum se ipsos confirment sceleribus scelera addunt » (ex 'epistularum commercio', quod Carolum Marx inter et Fridericum Engels habitum est et anno 1913 Stuttgartiæ editum, vol. IV, pp. 329-33).

Nihilominus Arturi Koestler liber ille minime spernendus est, quippe qui multa contineat, quæ postea alii scriptores, veluti Gustavus Herling et Alexander Solgenitsin, iidemque tromocratæ Stalinianæ experti, libris gravioribus lectuque dignissimis firmarunt.

Bello mundano confecto alia opera scripsit Koestler, e quibus patet quam sollicitus in eius animo esset libertatis amor, præsertim cum e regiminibus 'totalitariis', quæ complures homines in servitutem redegerant, barbaries immanis orta sit.

Severus vir fuit Arturus, tamen non raro ad facetias narrandas proclivior, quarum exemplum afferro hoc: vir quidam præstabilis, qui in aula Aloisii XIV, Franco-gallorum regis, magnanimitate excellebat, quodam die domum ex improvise reversus, uxorem suam et episcopum quendam sese amplexantes deprehendit; brevi cunctatione interposita fenestram cubiculi aperit et viatores benedicere incipit; cui uxor: « Quid agis, mi domine? Insanisne? »; « minime, uxor cara », maritus respondet; « cum autem munus meum expleat episcopus, vere iustum est ut huius probi viri partem equidem agam ».

Neque Arturum, qui postremis vitæ annis in parapsychologiæ incubuit studium, fugiebat quam sæpe multiplicium linguarum usus potius confusiones foveat quam firmandis inter homines vinculis faveat. Omnia ille spernebat, quæ sibi putida ac falsa viderentur. Quare mirum non est ut is, qui etiam librum c. t. « Dialogus cum morte habitus » scripserit et senex morbo 'Parkinsoniano' laboraret, die 3 Mart. 1983 Londinii, una cum tertia uxore Cynthia Jefferies (antea

Dorotheam Asher et Mamianam Paget duxerat), mortem sibi voluntariam consciverit. Nam hoc mortis genus veluti ius homini cuilibet adtribuendum semper Koestler adfirmaverat. « Mortem igitur illam Arturus cum ipsius vita congruentem elegit » non inepte scripsit Nellus Ajello (in actis diurnis Romanis q. i. « la Repubblica », Kal. Aug. 2005 editis, p. 31) ; et « eius mors quodam gravi sensu haud caret » (ita Cæsar Sughì in actis diurnis Bononiensibus, quæ « il Resto del Carlino » inscribuntur, die 3 Sept. 2005 editis, p. 26, in symbola c. t. « Etsi a sæculi vigesimi turbinibus Koestler iactatus est, suas tamen opiniones strenue defendit ac vulgavit »). Quæ igitur Koestler de comunismo vidit, audivit, rettulit, ea etiamunc « maximi sunt momenti », ut scripsit Fredianus Sessi (in actis diurnis q. i. « Corriere della Sera », die 18 Aug. 2005 editis, p. 39, in symbola c. t. « De Arturo Koestler deque comunismi tenebris »).



Anno 1954 omnes fere existimatores cinematographici Gretæ Garbo plauserunt et huic feminæ gratulati sunt propter præmium 'Ansgarianum', quo ipsa honestata erat. Nam Greta sive Margarita, cuius prænomen et nomen gentilicium fuerant Aloisia Gustafsson, iam pridem famam et gloriam sibi comparaverat, cum primas in quibusdam spectaculis cinematographicis egisset, quorum vel e titulis facile intellegitur quam apta ac præclara Greta fuerit maxime ad penitiores animi feminei inclinationes repræsentandas.

Corpus non ita formosum ei dederat natura, quo aliæ artifices cinematographicæ præditæ fuerunt, sicut ex. gr. Ava Gardner, Marilena Monroe, Birgitta Bardot ; sed ex Gretæ oculis ac vultu – quem « candidum sicut nivem et solitudine mæstum » dixit Rolandus Barthes – aliquid reconditæ fascinationis manabat, quod omnes adliciebat quodque nemo accuratius explicare valuit. Antequam enim anno 1941 Greta de scæna decederet – tunc solum sex et triginta annos nata erat –, vitas et eventus mulierum quarundam sæpe tragicos tam bene cinematographice repræsentaverat, ut compluribus spectatoribus notiores factæ sint illæ feminæ, quas tituli ipsi pellicularum monstrant, veluti « Anna Karenina », « Mata Hari », « Regina Christina », « Margarita Gauthier ».

Modum vivendi umbratiliem Greta degere semper contendit ; sed vitam eius privatam plerique adeo saga-

citer investigarunt, ut publici iuris quædam pateface-
rent, quæ pro comperto quisque iam habeat : amoris genere 'Lesbico' sive homosexuali Gretam cum aliquibus mulieribus coniunctam fuisse pro certo adfirmant illi vicissitudinum privatarum venatores. Nam in Suetia ipsa, quæ artificis illius fuit Patria, liber quidam nuper editus est c. t. « Cara puella vulnerata », quo multæ epistolæ amatoriaræ et secretiores continentur, quas feminæ cuidam, nomine Mimi Pollak, sexaginta per annos Greta miserat atque ab illa acceperat. Sunt insuper qui dicant ab ipsa Mimi Pollak nomen, quod est 'Greta Garbo', inditum Aloisiam fuisse.

Quacum de primo loco cinematographico occupando nulla alia femina contendere valuit, si Magdalena Dietrich forsitan excipiat, quam inter et Gretam æmulatus ex eo quoque ortus esse videtur, quod erga Mariam Mercedoniam De Acosta, feminam Cubanam blandimentis muliebribus quam maxime præditam, utraque proclivior fuerit. Attamen talia, quæ solum 'puritani' sive homines nimiam verecundiæ (quam Francogalli 'pruderie' vocitant) obnoxii scire spernunt, nihil e laudibus, quas artifices Suetæ permulti critici iure meritoque tribuerunt ac tribuunt, detrahere potest. Nam quidam scænarum moderatores iidemque insignes, veluti Ingmarus Bergman et Luchinus Visconti, sæpius Gretæ persuadere conati sunt ut ipsa denuo partes cinematographicas sustineret. At frustra, etiam quod nemo ingentissimam mercedem ab illa postulatam solvere potuit.

In animo autem huius feminæ, quam aliqui diurnarii « callidam ac superbam » vocaverunt, aliquid benignitatis non deerat, sicut in actis diurnis Mediolanensibus q. i. « Il Foglio » (die 8 Oct. 2005 editis, p. III) rettulit Ianus Carolus Dotto : dum Greta et Ioannes Gilbert primas in spectaculo c. t. « De carne et diabolo » agunt, accidit ut ipsam perditæ amare is cœperit, sed numquam sit a Greta redamatus. Paucis post annis, cum Ioannis gratia coram spectatoribus magis magisque iaceret atque ille, spe fortunam resumendi deposita, vinolentiæ se dederat, auxilium ab ipsa Greta habuit, quæ in spectaculo c. t. « Regina Christina » primas viri partes non Laurentio Olivier, sed Ioanni tribui iussit. Hanc igitur feminam, quæ die 18 Sept. 1905 in vico Holmiæ, quæ Suetiæ est urbs princeps, 'Sodermalm' appellato ex parentibus pauperrimis nata erat, et die 15 Apr. 1990 Novi Eboraci mortua est, acta diurna q. i. « New York Times » iure meritoque appellarunt « summam totius historiæ cinematographicæ artificem ». ❧

PANTHEVM

– ostendit Francisca Deraedt –

Cum in hoc Melissæ fasciculo multum agatur de Imperatore Hadriano, facere non possum quin ansam arripiam ad monumentum ostendendum, quod inter omnia Urbis ornamenta mihi quidem videtur esse pulcherrimum, monumentum ad quod, si Romam peto, primum omnium accurrere soleo videndi delectatione iterum iterumque capta : Pantheum scilicet, quod ab Agrippa Augusti genero ædificatum decursu temporum a compluribus imperatoribus refectum est, sed ab Hadriano totum mutatum et reconstructum.

Attamen quid novi de ædificio tam celebrato vobis dicere possim, non video. Illud esse, inter antiqua monumenta, unum ex optime servatis ? Hoc nemo nescit ; causa verisimiliter in eo est, quod anno 608 Bonifatius IV Pantheum fecit ecclesiam Sanctæ Mariæ ad Martyres. Quamquam Ecclesia de huius ædificii conservatione non semper causas habuit gloriandi : nam omnes æræ statuæ, quæ sæculo septimo decimo ibi supererant, ablatae et conflatae sunt ad conficiendum Sancti Petri baldachinum. Quid præterea ? Tholum esse incredibiliter amplum ? Res patet. Latum 43,30 metra, 22 metris a solo incohatum ? Sed numeri neminem iam commovent. Neque numerabo columnas monolithas e syenita confectas, quæ in pronao videntur esse solito plures. Hæc omnia ceteraque Panthei superlativa in quolibet libro periegetico inveniuntur. Quæ de causa nonnullas variorum auctorum observationes potius proponam, quas mihi libros passim evolventi tamquam flosculos decerpere contigit.

Sic mirans legi architectos nondum plane intellegere, quo modo tholus huiusmodi antiquitus exstrui potuisset. Solum plus minusve feliciter fingi posse structuram ligneam, qua curvatura fulta esset. Eosdem non melius scire quo modo tholus Florentinus (quinto decimo sæculo) aut tholus basilicæ Sancti Petri (exeunte sæculo sexto decimo, id est nuper) confectus esset ! Et aliam rem etiam magis mirabilem : ut audacia antiqui tholi superaretur expectandum fuisse vicesimum sæculum et calcestrum ferratum, quo Parisiis exstructus est tholus ædificii C.N.I.T.¹ ! Mihi in animo non est Florentiam Romamve funiculo metrico armata petere, ut concamerationes metiar, tamen tristis cogito de Philippo Brunelleschi deque Michaelæ Angelo Bonarrotio, qui tam severo iudicio detruduntur ab admiratoribus hodiernæ fœditatis.

Qua autem sum ruditate, numquam cogitaveram nomen Panthei ambiguum videri posse, usque dum hæc Iusti Lipsii verba sub oculis inciderunt : « Quæ causa nominis, ipse Dio dubitat. In Glossis illis priscis legitur πάνθειον, Omnium Deorum. Sed et Athenis, atque alibi, τὸ κοινὸν τῶν θεῶν ἱερόν fuisse commu-

ne Deorum Templum, ex Pausania disco : cui et origo esse apud Romanos potuit, ex communi Deorum sacro, de quo Festus. Sed Dio tamen aliter : et movit ipsum, credo, quod paucae et certæ in eo statuæ essent, neque Diis communiter positæ. Fuit enim Martis, Veneris (in cuius auribus sectus famosus ille unio Cleopatrarum) et Cæsaris Iulii ; ipsius Augusti, cum sua, in vestibulo posuit Agrippa. Iupiter autem præcipuus, et præses ibi, Deus fuisse videtur ; sed et plures alii, eoque nomine haud male Pantheon, etsi Dio a cæli forma magis petit, quoniam id scilicet receptaculum et sedes Deorum. »²

« Famosus » autem « ille unio Cleopatrarum » quid fuerit, narrat Plinius in capitulo, in quo de margaritis tractat : « Duo fuere maximi uniones per omne ævum ; utrumque possedit Cleopatra, Ægypti reginarum novissima, per manus orientis regum sibi traditos. Hæc, cum exquisitis cottidie Antonius saginaretur epulis, superbo simul ac procaci fastu, ut regina meretrix lautitiam eius omnem apparatusque obtreptans, quærente eo, quid adstrui magnificentiæ posset, respondit una se cena centiens HS assumpturam. Cupiebat discere Antonius, sed fieri posse non arbitrabatur. Ergo sponsonibus factis postero die, quo iudicium agebatur, magnificam alias cenam, ne dies periret, sed cottidianam, Antonio apposuit inridenti computationemque expostulanti. At illa corollarium id esse et consumpturam eam cenam taxationem confirmans solamque se centiens HS cenaturam, inferri mensam secundam iussit. Ex præcepto ministri unum tantum vas ante eam posuere aceti, cuius asperitas visque in tabem margaritas resolvit. Gerebat auribus cum maxime singulare illud et vere unicum naturæ opus. Itaque expectante Antonio, quidnam esset actura, detractum alterum mersit ac liquefactum obsorbuit. Iniecit alteri manum L. Plancus, iudex sponsonis eius, eum quoque parante simili modo absumere, victumque Antonium pronuntiavit omine rato. Comitatur fama unionis eius parem, capta illa tantæ quæstionis victrice regina, dissectum, ut esset in utrisque Veneris auribus Romæ in Pantheo dimidia eorum cena. »³

Eandem relationem affert Macrobius in Saturnaliis ; quam priori apponere lubet, ut delecteris, optime lector, utriusque textus collatione diversisque nominibus reginæ Ægyptiæ datis : « Nam cum Antonius quicquid mari aut terra aut etiam cælo gigneretur ad satiandam ingluviem suam natum existimans faucibus ac dentibus suis subderet, eaque re captus de Romano imperio facere vellet Ægyptium regnum, Cleopatra uxor, quæ vinci a Romanis nec luxuria dignaretur, sponsione provocavit insumere se posse in unam cenam sestertium centies. Id mirum Antonio



visum, nec moratus sponsione contendit, dignus sculna Munatio Planco qui tam honesti certaminis arbiter electus est. Altera die Cleopatra pertemptans Antonium pollucibilem sane cenam paravit, sed quam non miraretur Antonius, quippe qui omnia quæ apponebantur ex cottidianis opibus agnosceret. Tunc regina adridens phialam poposcit, cui aceti nonnihil acris infudit atque illuc unionem demptum ex aure altera festinabunda demisit, eumque mature dissolutum, uti natura est eius lapidis, absorbit : et quamvis eo facto sponsione vicisset, quippe cum ipsa margarita centies sestertium sine contentione evaluisset, manum tamen et ad alterius unionem auris similiter admovit, nisi Munatius Plancus iudex severissimus superatum Antonium mature pronuntiasset. Ipse autem unio cuius fuerit magnitudinis inde colligi poterat, quod qui superfuit postea victa regina et capta Ægypto Romam delatus dissectusque est, et factæ ex una margarita duæ, impositæque simulacro Veneris, ut monstruosæ magnitudinis, in templo quod Pantheum dicitur. »⁴

Ceterum Pantheum videtur animos semper movisse. Iam Augustus, teste Suetonio, funestum augurium accepit apud ædificium a genero conditum : « Mors quoque eius [sc. Augusti], de qua dehinc dicam, divinitasque post mortem evidentissimis ostentis præcognita est. Cum lustrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila eum sæpius circumvolavit transgressaque in vicinam ædem super nomen Agrippæ ad primam litteram sedit ; quo animadverso vota, quæ in proximum lustrum suscipi mos est, collegam suum Tiberium nuncupare iussit ; nam se, quamquam

conscriptis paratisque iam tabulis, negavit suscepturum quæ non esset soluturus. »⁵

Sed nolimus de rebus luctuosis cogitare. Romæ sumus, antiqua monumenta semper eadem admiratione commoti lustramus, iucunda quadam levitate afficimur, ecce ad hoc architecturæ miraculum pedes nos pæne inscientes ducunt. Iuvat intrare et hanc maiestatem religiose contemplare, marmora, capitula Corinthiaca, sepulcra, opera picta, lumen oculo centrali parce diffusum, hanc amplitudinem, hanc geometriam. Iuvat huc illuc ambulare, in sublime spectans, ac de hominibus cogitare, qui huc aliquando venerunt suntque eisdem lapidibus commoti, quibus nos nunc sumus. Iuvat imaginari, quo modo res apparuerit, tempore quo locus adhuc satis desertus videbatur, quo lustratores erant rari, quo vix ulla erat in propinquo caupona popularis : « Amisit de specie, ait Iustus Lipsius⁶, quod rudera locum sustulerunt, et gradibus in templum nunc descenditur ; atqui antea ascendebatur. Tectum et ipsum æreis tegulis, quæ prægrandes aliquot in fornice repertæ ; nec dubitandum et has auratas fuisse. Abstulit eas regulas Constantinus Heraclii filius, ut pleraque alia ornamenta Romæ reliqua ; avexit in Siciliam, et Saraceni invadentes omnia abstulerunt. » Iuvat renovare somnium pictoris Raphaelis Sanctii, cui contigit, ut cupiverat, in hoc præstanti monumento sepulturam accipere, nec solum sepulturam, sed etiam pulchrum epitaphium a Petro Bembo exaratum :
ILLE HIC EST RAPHAEL TIMVIT QUO SOSPITE
VINCI / RERVVM MAGNA PARENS ET MORIENTE
MORI.

Tamen si nos etiam in Pantheo cupimus æternum aliquando somnum inire, timendum est ne res non facile concedatur... ❀

1. C.N.I.T. : Centre des Nouvelles Industries et Technologies, in vico La Défense nominato. J.P. Adam, *La construction romaine*, Paris, Picard, 1995³, p. 190-211. Vide contra sententiam Caroli Egger, *Roma æterna*, Napoli, Pisani, 2000, p. 73 : « Michael Angelus Bonarrotius hanc molen, cuius tanta est altitudo, quanta latitudo, ingenii sui acie est contemplatus, cum mente conciperet tholum novæ Basilicæ Petriane, non sine audacia in sublime educendum, qui maximis pilis sustineretur. Vir Tuscus superavit veteres Panthei effectores. »

2. Iusti Lipsii *Roma illustrata, sive antiquitatum Romanarum breviarium*, Londinii a. 1692, p. 188.

3. Plin. IX, 58.

4. Macr. III, 17.

5. Suet. *Aug.* 97.

6. *Ibid.*

DE NOVIS LIBRIS

C. Sjöberg, *Ubi est unitas? The Latin Letters from Johannes Annorelius, a Swedish Catholic Convert, to his Brother*, *Studia Græca et Latina Lundensia* 11, Stockholm, Almqvist & Wiksell International, 2005, 352 p.

Initio duodevicesimi sæculi iuvenis alumnus Upsalensis, Iohannes Annorelius nomine, patriam relinquit iter suscepturus. E quo numquam rediturus est. In Francogallia enim non solum religionem catholicam amplexus est, sed insuper receptus est in ordinem Capucinatorum. Talis autem conversio tunc temporis in Suetia capitali poena puniebatur familiaresque apostatae in discrimen etiam poterat adducere. De exsilio suo Iohannes per multas epistulas ad fratrem misit, Franco-gallice et Latine conscriptas, numquam Suetice, sive securitatis causa, sive quod monacho litteras mittere non licebat, quæ non essent a superiore prius lectæ.

Hoc opere, quod est auctricis thesis doctoralis, epistulæ Latinæ continentur. Quibus Iohannes quæstiones theologicas præcipue tractat, familiam nitens ad catholicam fidem attrahere. « Tollit Lutherus », inquit, « leges humanas. Quid furibus, latronibus, sicariis, adulteris, scortatoribus etc. possit dici iucundius? Tollit sacerdotium, tollit omne vitæ continentis studium. Quid hoc aliud est quam Epicureum illud: Ede, bibe, lude – post mortem nulla voluptas! » (Ep. VI, 252, p. 307).

Huiusmodi epistulæ bonum testimonium etiam esse poterant de vita alumnorum monachorumque, qualis illo tempore fuisset. At Iohannes Annorelius talia flocci non facit, totus ad fidem propagandam intentus: « Non mireris igitur, si terrena sileo, quamquam multa ad enarrandum habeam. Ista non curo, nec tu quoque curare debes. » (Ep. IV, 3, p. 160). Itaque eius quidem vitæ condiciones nobis obscuræ manebunt.
ISBN 91-22-02138-8

Le Mahabharata, Textes traduits du sanskrit et annotés par Gilles Schaufelberger et Guy Vincent, Tome III Les Révélations, Québec, Les Presses de l'Université Laval, 2005, 910 p.

Quamquam nihil Latini inest in hoc libro, nonnulli lectores fortasse gaudebunt de tertio Mahabharatæ tomo Francogallice verso. Nam de hoc ingenti opere actum est in *Melissæ* fasciculo 128, p. 1-3.

In primo tomo mundi genesis tractabatur, in secundo epicæ narrationes, in hoc autem commentationes philosophicæ, quibus bellum et vita humana explicantur. Agitur de metempsychosi, de *karma*, de cyclo temporis, de deorum incarnationibus, quæ notiones in Asia magni fuerunt ponderis.

ISBN 2-7637-8296-5

P. VON STREITHAGEN, *Somnium sive poema in Ruram. Ein Traum oder Preislied auf den Rur-Fluss*, übersetzt und kommentiert von Norbert Thiel mit einer Biographie des Peter von Streithagen von Günter Bers, Jülich, Joseph-Kuhl-Gesellschaft, 2005, 109 p.

Petrus von Streithagen (1595-1670), canonicus Heinsbergensis, regionem suam, flumen Ruram terramque Iuliacam carmine cecinit, quod sibi exemplum manifesto proponit Ausonii Mosellam, sed suum etiam habet ingenium poeticum. Quod carmen hic in lucem denuo edit Norbertus Thiel philologus eiusdem terræ studiosus, et ipse Iuliacensis, una cum versione Theodisca commentarioque et Latine et Theodisce exarato. Textui etiam addita est auctoris vitæ narratio, a Guntero Bers Theodisce conscripta.

Tali autem opere et poeta et editores amorem patriæ eximie ostendunt, cui nomen est:

« Julia, quæ geminas inter confinia ripas
nunc Rheni Mosæque tenet, lætissima tellus »

(v. 125-126, p. 64)

ISBN 3-932903-28-5

G. ALESIIUS, *Odæ XLV*, Wien, Edition Præsens, 2005, 67 p.

Inter hodiernos poetas Latinos nonnulla nomina elucent, inter quæ id Gerardi Alesii, i.e. Gerd Allesch, Austrii. Qui in omni carminum genere videtur facilitate, ubertate, vi poetica dotatus esse. Et varietate: nonne enim in interreti invenitur « Corpus cloacopoeticum » ab eo una cum nonnullis amicis collectum?

Ecce nunc quadraginta quinque odæ, inter quas, si una est exemplo proponenda, hanc potissimum eligimus, brevem, « ad Mariam » lepide destinatam:

« Nascimur soli morimurque soli.

Solus in lucem veniam necesse est

solus in noctem. At sine te, Maria,

vivere nolo. » (XXXVI, p. 51)

Pulchra insuper est hæc editio, nitidus libellus amico parentive quavis occasione data offerendus.

ISBN 3-7069-0367-9

In hoc fasciculo !

De Villa Hadriana (I) [G. Licoppe] p. 1
De condicionibus usus linguarum socialibus (I) [L. Willemarck] p. 5
Poematia Gasparis Murtolæ [Th. Sacré] p. 8
De «reguli» vitæ ultimis horis [G.A. Bergère] p. 10
De Arturo Koestler deque Greta Garbo [V. Ciarrocchi] p. 12
Pantbeum [F. Deraedt] p. 14
Bibliotheca Latina p. 16

*Imago tegumenti : in villa Hadriana : theatrum Græcum
a Iohanne Honorato Fragonard effictum.*

LATINE LOQVI...

SYMPOSIUM BRVXELLENSE

instituet Melissa d. 6-13 m. Augusti a. 2006,
auspiciis Academiæ Latinitati Fovendæ

Proxima æstate Melissa symposium Latinum in urbe
Bruxellis instituet. Hoc symposio, quod volumus
esse iucundum sodalium concilium, participibus dabi-
tur occasio de variis argumentis disputandi, quæ
Latinistis cordi esse solent. Eis autem, quibus loquela
Latina nondum est consueta, exercitationes Latine
loquendi proponentur.

Pretium

- *inscriptionis* :

- *adultis* : 50 eur.

- *discipulis et studentibus* : 25 eur.

- *pernoctationis et victus* : 250 eur.

- *externis* : 18 eur. *singulis diebus pro æco et prandio.*



Qui participare cupiunt nos certiores faciant.

ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ CONVENTVS

In Hispania, Alcannizii et Ampostæ, d. 24-28 m. Iulii.
¶ joaquin.pascual@uca.es

AMICITIA CATHOLICA PRO LATINITATE

In Germania prope Coloniam, d. 16-22 m. Iulii.
¶ dominique.viain@wanadoo.fr

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Lexintoniæ in America, d. 14-23 m. Iulii.
¶ Prof. Terentius Tunberg : clatot@pop.uky.edu

CONVENTICVLVM RVSTICVM

In Civitate Vasintonia d. 25 m. Iunii - 1 m. Iulii.
¶ <http://www.wenval.cc/boreoccidentales/>

FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, 31 m. Iulii - 7 m.
Augusti. ¶ marie-antoinette.avich@wanadoo.fr

SEMINARIVM PRAGENSE

A L.V.P.A. institutum, 31 m. Iulii - 6 m. Augusti.
¶ www.lvpa.de/

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

¶ Morsaci in Helvetia : 23-29 m. Iulii. ¶ in Belgica in
abbatia Maretiole : 6-12 m. Augusti. ¶ Societas
Latina : s.albert@mx.uni-saarland.de

SEPTIMANA AMCENEBVRGENSIS

Latine loqui - Romane coquere, 29 m. Iulii - 5 m.
Augusti. ¶ www.septimanalatina.org